NOBILISSIMO ET CLARISSIMO D. DOMINO.

CAROLO FRANCISCO DORMY REGIO A SECRETIS CONSILIARIO &c. GASPAR BRAIER.

QVOTIES parentem de te loquentem, tibi, ſe, ſuam vitam, fortunas, decus omne, debere cotidie profitentem audio (vir Clariſſ.) quod rure in vrbem extraxeris, illuſtriſſimæ fœlicis memoriæ MARQVISIÆ de NOIRMONSTIER *conciliaris, Regio principi nunc ſeruire conſulueris, toties, tot in me beneficia redundare, iiſdem tanquam arctiſſimis vinculis cum patre, tuoque alumno patruo deuinctum gratus, lubens agnoſco; cum eorum ope iatricam paleſtram, adhuc adoleſcens ingreſſus ſim, in qua, ſi quid laudis fortiſſimis athletis reſpondendo conſequar, & in facienda deinceps medicina dignum viro bono, doctoque præſtitero, id omne tuo tibi poteris iure vindicare, præſertim cum tu, qui vitæ probitate, prudenti conſilio, multos antecellis, in tot beneficiis collocandis, non tam fortunam, quam mores noſtros ſpectaueris: Hæc teſte mundo prædico gratiq; animi mei poſtremam hanc tabellam iatricam tibi teſtem offero. VALE.*

AD QVODLIBETARIAM.

QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS DISPVTATIONIBVS AGITANDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXII. FEBR. MAGISTRO ROBERTO TVLOVE DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An apoplexiæ febris, hæmorrhoïdes?

QVICQVID reſpirationem omnino adimit vitam tollit, excipe ὑστερικὸν πάθος, (non ſuffitu, ſed coitu, quo nihil in pleriſque mulierum morbis præſentius, præſtantius, non phlebotomia, ſed balneo ſanandum) vnde ſuperſtites manent mulieres ſpiratione amiſſa: hanc adimunt angina vera meatu interclufo, ſyncope ſublato ſpirandi vſu, apoplexia fortis intercepto motu, quæ vt omnium curatu difficilis, ita magis horrenda, ea enim perculſus quaſi ſydere, nullis fere morbi indicijs totus repente attonitus concidit, atque fixis oculis iacet ſine ſenſu, ſine motu, ſine mente, minutula ſpiratione à mortuo diſſidens, quæ & mox intercipitur, cum ſtertore grauiſſimo, quo à veternoſis, & catalepticis diſtinguitur, in ea etenim κυρίως dicta collapſa repente cernitur animalitas ipſa, in amiſſione ſenſus, & motus, idque principatu eius conſtricto, vel ſpiritu animali concluſo, nec diſſipato, nec inſtaurato.

APOPLEXIA fit non ab inflammatoria cerebri diſpoſitione, ſed à tumore, non à bile, ſed aut à pituitoſo humore proprio cerebri excremento, affatim in eius ſinus affluente; eóſq; obſtruente, aut ab humore melancholico principium neruorum inficiente, aut plerúmque venulas, aut arteriolas retis mirabilis occludente, aut à ſanguinis copia totam cerebri ſubſtantiam inebriante, idque ruptâ, apertâ, aut exeſa venâ, denique fit ab obſtructione compreſſis venis carotidibus, aut iugularibus, quæ tam periculoſa non eſt, ac alia: hæc enim eſt debilis, illa fortis, cui proni ſunt quibus à natura ceruix breuis, aut angusta conceſſa eſt, vt illi, ſenes, crapulæ addicti, hyeméque potiſſimum, denique οἱ παχέες φύσει ταχυθανατώτεροι τῶν ἰσχνῶν.

QVID non tentandum in tanto ſymptomate compeſcendo? ſi ſpuma, ac grauis ſtertor adſint, nihil. Secus vero, ſi paulo liberior ſpiratio adſit, apoplecticus agitandus, concutiendus, fricandus, vt concreti humores fundantur, obſtructa liberentur, vis naturæ graui ſomno ſepulta excitetur, clyſteres primum leues ad fœces eluendas, deinde acres ex decocto capitali cum hyera Pachij inijciendi, ad materiam morbificam deriuatione vacuandam, cucurbitulæ affigendæ ſcapulis, mento, ignitæ ſartagines capiti admouendæ, theriaca arcenda, phlebotomia remedium anceps, aut cito iuuat, aut cito iugulat, ſpiritus vini exhibendus olea gariophyllorum, nucis moſchatæ, thymi, vitrioli, in os, & nares inijcienda (quæ quamuis calida, nihil in tarda, & ſegni venere accelerant) ad materiam incidendam, calorem natiuum exſuſcitandum, vires recreandas, quæ potius opprimuntur, quam fatiſcunt: vt indicat pulſus magnus, & plenus, quâ notâ à ſyncope apoplexia diſtinguitur.

AT vero natura cũ opprimitur interdũ aliquid inſigne molitur, vt ſeſe morbificis cauſſis exoneret, adeóque vt plerumque morbus morbo ſanetur, ſic dyſenteria, hydrops, aut ectaſis maniam ſoluunt, ſplenicis dyſenteria ſalutaris, inſanientibus varices, febris ipſa, hominis infenſiſſimus hoſtis à multis morbis eum perſæpe vindicat, hæc namque hypochondrij dolorem ſine phlegmone ſanat: quibus ἀπύρετοις à metu ad furorem egreſſio eſt, hos febris cum ſudoribus liberat, ſic & epilepſiam quartana ſuperueniens, & conuulſionem exorta febris acuta quæ prius non fuit, aut ſi fuerit ex acerbata exoluit: Si quis ebrius (breuioris vitæ quam ſalax & libidinoſus) repente obmuteſcat, conuulſus moritur, vt & à tromate ἀκρατέες, niſi febris exoriatur, apoplectici moriuntur, denique tetanum hæc exoluit, quidni & apoplexiam? maxime, modo diuturna non ſit, ac lenta, vt in Numenij filio. Dico paucis, omnes morbi qui à frigore nati ſunt vel ſimplici, vel cum humoris affluxu crudi, ac pituitoſi, à febribus acutis iuuantur, ſanantur, humoribus putâ glutinoſis, à calore febrili fuſis, frigore fugato, flatibus diſſipatis.

Νούσων φύσιες ἰητροί, vias enim ſine conſilio natura inuenit, citra ſpem omnem morbo ſeſe liberat, (ſic peripneumonicorum pus per aluum, aut vrinas fundit) quod vt faciat, aluum lubricat, vrinas mouet, hæmorrhagiam excitat, vomitũ prouocat, ſudores ciet, tumores parit, vt humorẽ morbificum eliminet, hæmorrhoïdes aperit, per quas, naturę lege ac præſcripto per μετάστασιν, ſanguis ſi fluit, propugnationem, & ἐπανόρθωσιν affert hæmoptoïcis, peripneumonicis, pleuriticis, melancholicis, fanaticis, nephriticis, varicoſis, lienoſis, & parum in duello venereo potentibus, & quibuſcumque qui à morbis cutaneis exercentur, arcendo, & abigendo ea mala quorum fœtura eſſe ſolet, quando humores in vitio ſunt abundantiæ aut impuritatis: ſed apoplecticos mirificè iuuant, mortiſque cauſam pręripiunt, melancholici enim non raro fiunt apoplectici, quò fit, vt humor committens apoplexiam plerumque eſt melancholicus ἀναρρόπως per μετάστασιν ad cerebrum tranſlatus qui καταρρόπως per homorrhoïdes apertas fluit, funditur, vacuatur.

Ergo apoplexiæ febris, hæmorrhoïdes.

Aſſerebat Lutetiæ GASPAR BRAIER Caſtrithierricus Anno R. S. H. M.D.C.XVIII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Guillielmus Gerbaut.
M. Franciſcus l'Eſpicier.
M. Franciſcus le Sage. M. R.
M. Georgius Cornuty.
M. Guillielmus Du Val. P. R.
M. Ioannes Akakia. M. R.
M. Ioannes Pietre.
M. Ioannes Couſin.
M. Hieronymus Goulu. P. R.